1510. 6. Decembris

Sigism: I. Rex Poloniae Nicolao Spott Castellano Gedanensi. Dispensatori Marienburgensi.

Persuasi esse te bonum oeconomum, qui a fide et integritate commendaris, constituimus te isthic Provisorem Castri et omnium Proventuum ad Castrum istud Marienburgense spectantium, credimusque, quod ob gratiam Nram omnia tuae curae commissa ex utilitate Nra administrabis. Arcem victualibus providebis, ut aedificia, ubi necesse est, cum scientia et consilio Capitaneorum modernorum restaurabis et ut arx ipsa summa cura ac vigilantia custodiatur. Ex Conventu autem proximo Piotrkoviensi te et Capitaneos edocebimus, quomodo arx regenda servandaque erit interea tamen tu providens, ut Capitanei honesto moderatoque victu fruantur, Diaria etiam pro equis moderatiora fiant. Nam, ut nunc agitur, superflue fiunt sufficit enim unus chorete avenae pro duobus equis, et pro equis sex una Czwiertnia, et eo modo cuilibet Diaria deinceps tradi facias. Superflui equi non deberent servari in Diario castrensi, sed si qui servantur, serventur in eum usum, ut praedones qui in Prussia vagantur, compesci valeant in hac enim necessitate majora Diaria merebuntur. Sic facturi pro Gratia Nra. Datum Cracoviae 6. Decembris 1510.